

I. N. I.

DISPUTATIO ACADEMICA
PERFECTIONEM
BRUTORUM
BREVITER ADUMBRANS,

Quam

Indul tu Amplissimæ Facultatis
Philosophicæ,

IN REGIA ACADEMIA ABOENSI,

PRÆSIDE
VIRO CELEBERRIMO
PETRO HAHN,

Phyl. Profess: Reg.

PRO GRADU MAGISTERII,

Die 21. Decembris Anni 1700,
loco & Floris consuetis,

Defendere conatur

GUSTAVUS GACKAS.

Fupr: JOH. WINTER/ Anno M. DCC.

I. §.


 Upremus ille rerum Arbitr^e, DEUS Ter Maximus , cum superiorem se haberet neminem , cui operis sexti dui censuram permitteret ; ipse Censorem egit , dum per Amanuensem suum toties in Historia creationis repetere voluit : *Et vidit Deus cuncta , quæ Gen. 1. fecerat , quod erant valde bona.* Bonæ equidem adeo sunt & perfecta omnia & singula , à Sapientissimo Numine cendita , ut iis perfectiora existere , Deumq; Conditorem meliora conditis condere potuisse repugnet . Etenim , cum sit Ens omnium summè optimum & perfectissimum , non potuit non res ab Ipsi profecta , in suo genere optima , & omnibus numeris absoluta evadere , utpote in qua , ex superabundan-

undantissimo bonitatis suæ lubitu, imaginem sui adumbrare voluit. Hinc jam coruscant omnia lucida, splendent diaphana, illuminantur opaca: hinc vivunt plantæ, sentiunt animalia cuncta, cognoscit & inteligit homo; qui cum sit rerum creatarum corena & coronis, seu totius universi compendium, in quo quicquid perfectionis in Macrocosmo reperitur, per pulcrè resplendet, reale nobilissimum opus manuum DEI habetur, meritòque constitutum perfectissimum.

§. 2.

Secundum ab homine perfectionis gradum Animantibus, quæ vulgo bruta, seu potius, muta appellantur, jure corundem vindicant operationes, in quibus, operationibus putat, omnium agentium perfectionem consistere, communis Philosophorum est sententia. Haec quippe sunt, quæ de Causæ efficientis nobilitate & ignobilitate testantur, sic ut quæ res aliqua præstantiores habeant

beat operationes, eō etiam præstan-
tior illa ipsa res ex se censenda sit.
Jam si varias illas & multiplices a-
ctiones, quas serie quadam conser-
tas exercent, atq; incredibili soler-
tiā, quæ humanam vincit industri-
am, operantur animalia bruta, pe-
nitius intuemur, ejusmodi eas esse
reperiemus, quæ rationis cujusdam,
saltim inferioris, bestias participes
esse pene persuadeant. Sunt autem
illæ duplicitis generis; unum scil. o-
mnibus animantibus commune; al-
terum distinctis speciebus peculiare
atque proprium. Prius illud homi-
ni cum bestiis commune est, nimi-
rum Conservatio sui, & suæ speciei
Propagatio. Omni enim animan-
tium generi, ut ait Tullius, à na-
tura tributum est, ut se, vitam cor-
pusq; tueatur, declinetq; ea, quæ no-
citura videantur, omniaq;, quæ sunt
ad vivendum necessaria, inquirat &
paret. Communis item animantium
omnium est conjunctionis adpeti-
tus, procreandi causâ, imo, & cu-
ra quædam eximia eorum, quæ pro-

creata sunt. Hinc Tigrides, Leones, Lynxes & Pantheræ, bestiæ quidem sunt immanes & efferae, tales tamen, quæ ut propugnant fœtum, nullas minas exhorrescent, nullis ictibus cedunt. Quid stupidius Afina?

Vid. qui Afinæ partus charitas summa, &
Plin. l. quæ per ignes ad fœtus tendit. Quis
8. c. 43. amor, quæ cura gallinæ de pullis?
 quorum hos expansis inumbrat a-
 lis, illis tergum concendendum, &
 undiquaque aditum præbet, ut quo-
 tidiana nos edocet experientia, Nec
Lib. 6. prætereundus nobis Delphinus, qui
c. 12. Aristoteli ζῶον Φιλότεκνον dictus, fœ-
 tus infantiam infirmos gestare tradi-
 tur. Sed plura exempla, in hanc
 rem congesta, apud Plutarchum re-
 peries, de Amore prolis, quin &
 passim apud scriptores alios, nos ad
 alia properamus,

§ 3.

Ex communi illâ, quam diximus,
 omnium animantium curâ & stu-
 dio, tam in sibi quam suorum con-
 servatione, non minima Brutorum
 elucet perfectio; sed cui pondus

non leve accedit ex Operationibus, quas quælibet species bruti animalis, sibi ut proprias vendicat & peculiares, quasve pro varietate specierum, varias animadvertisit, atque adeo eximias, ut bruta his ipsis, rationis quædam & virtutum viva quasi simulacra revera referant. Tanta n. in illis comparet naturæ prudentia, h. e. sagacitas & solertia, tam astutæ adinventiones & machinationes, tam artificiosa juxta & admiranda opera, ut omnes facultates animantium, rationis expertium, prorsus transcendere videantur. Cujus rei notissimis exemplis has pagellas onerare non jucat: nec vacat nunc temporis, huc congerere, quæ Aristoteles, Plinius, Ælianus & alii magni nominis autores scripsere de prudentiâ, seu admiranda solertiâ Elephontorum, de justitiâ & fortitudine Leonum, de frugalitate Accipitris, sobrietate Corvi, Castitate Ciconiæ, Turturis & Columbarum; quæ sanè virtutes sunt præcipue illæ, quarum quidem

similitudinem elegantem conspicimus, in variis animalium speciebus, quæque ideo Cardinales vocantur, quod ad has, tanquam generales quasdam classes, reduci posse virtutes omnes reliquas, existimant non pauci, seu quod iis, tanquam fulcimentis, totius humanæ vitæ ratione volvatur atq; innitatur. Sed nomine & artes quasdam pleraque animalia exercere videntur: ut hirundines figulinam, apes architecturam, araneolæ textoriam? nam quasi rete texunt, ut si quid inhæserit, arripiant. De ingenio, & mira arte Castoris, in America septentrionali, incredibilia prouersus à Viro quodam, fide dignissimo, se accepisse refert Joh. Bapt. Du. Hamel. ut

In Oper. Philoso. Tom. II, hoc animal amphibia, ait, adverte corp. sus imminentis hiemis vim se tue-
Anim. atur locum declivem eligit, quem lib. III. rivulus alluit; mole opposita, ex
et 2 S. 4. cespitibus & arborum ramis, summâ industria & magno labore extruc-
 tâ, aquam profuentem sistit, quæ in

in stagnum effunditur; circa ejus stagni caput, cumulum extantem eligit, ubi tugurium & quasi domunculam eadem arte ædificat, in summâ illius parte ostium apertum relinquit; Ramos ex arboribus excisos, quibus vescatur, colligit; & ex illa, velut annonâ, solent Barbari hiemâ vim & durationem præ sagire. Per cuniculos aquam subit, ubi libuerit, & venantium artes cludit. Atque hæc sufficient adduxisse, pro ostendenda & declaranda summâ illa in brutis perfectione, cum singulas brutorum actiones, memoratione dignas, hisce paginis persequi, neque instituti neq; temporis fert ratio, imo, foret hoc inexhausti operis, cui vires meæ non sufficerent, nec magni forsitan usus; sequitur autem nunc, ut quid de hac stupenda vi naturæ, quæ in brutis se exserit, tam prior, quam posterior senserit ætas, paucis [exponamus.

§. 4.

Qui sit summæ istius perfectionis, quam tot eximiae actiones, in bru-

tis conspicuæ, arguere videntur;
 fons & origo, vix suspicione attin-
 gere possumus; imo, vix explicari
 posse arbitramur harum actionum
 principium. Quanquam, ut in re-
 bus obscuris fieri solet, suas quisque
 adfert conjecturas verius quam sen-
 tentias, ex quibus Eruditorum scri-
 pta consulenti mihi, tres potissi-
 mūm tese obtulerunt, quarum duas
 sibi ē diametro oppositas, tertiam
 verō medium quasi inter priores te-
 nentem observavi. Ex contrariis sen-
 tentiis prior eorum est, qui miran-
 dorum illorum, quæ à brutis fiunt,
 admiratione commoti, longius quam
 oportuit, progressi sunt, rationem
 ponentes operationum in brutis
 principium. Fecerunt hoc non tan-
 tum Antiquorum beue multi, sed
 etiam Recentiorum non pauci, &
 quidem vel directè, ut dici suevit,
 vel indirectè. Eorum, qui directè,
 seu immediatè, rationalitatem bru-
 Pyrrhō.
 tis adscripsere, ex Antiquis eminent
 bypot. I. Sextus Empiricus, cuius verba ita red-
 a. c. 5. duntur: Nullum animal est expers
 ratio-

rationis, sed omnia sunt intelligen-
 tia & scientiae capacia. Et Plutar-
 chus, qui hunc in modum pergit,
 ut latina habent: Ideo quodvis ^{a-}
 nimal est rationis particeps. Ean-
 dem mentem Anaxagoræ, Pytha-
 goræ, & Platoni tribuit Plutarchus.
 Stobæus in eadem fuisse opinione
 scribit Parmenidem, Empedoclem
 & Democritum. Ex Recentioribus,
 qui hoc faxum volverunt, præcipui
 sunt Adrianus Heerebord, & Hiero-
 nymus Rorarius, qui quidem ceteris
 audacior, dum bruta animantia me-
 lius ratione uti statuit, quam homi-
 nes. Indirectè autem & oblique
 quasi Bruta rationis capacia facit,
 notissima illa apud Ictos Juris defi-
 nitio: *Jus naturale est, quod Natu-
 ra omnia animalia docuit.* Ex quo
 necessariò fluere videtur, Jus aliquod
 dari, hominibus cum brutis com-
 mune, & tanquam utrisq; naturale.
 Quò spectat etiam vanum illud Py-
 thagoræorum dogma, ex μετεπινύ-
 χών profectum, Bruta scil. juris es-
 se capacia, non secus quam homi-
 nes;

De plac.
 philoſ. L.
 S. c. 20.

Stob Ec.
 Ph. p. 92.

Heereb.
 pbimac.
 c. 14. not.

ad S. 18.

Romr in
 lib. quod
 Bruta
 utantur
 ratione.

nes; cum figurâ duntaxat corporis;
 non vero animâ, quam invicem
 commutarunt, differunt. His ad-
 jungere non dubitamus eos, qui
 bruta ratione uti haud obscurè se
 sentire indigitarunt, dum sermonem
 illis, quod se invicem intelligerent,
 Lib. 12. adscripsérunt. Hinc Plato apud Eu-
 De pra- sebum dicit, homines aurei seculi,
 pavae. Saturno imperante, tantæ fuisse vir-
 Ewang. tutis & sapientiæ, ut cum brutis
 o. p. sermonem conferre potuerint. De
 Josepho, Judaicarum rerum Scri-
 ptore res clara, qui Serpentem in
 Paradiſo, & aliis animalibus sermo-
 nem fuisse naturalem scribit. Nec
 de Rabbinis latet, quod Salomonem
 omnium bestiarum linguas intelle-
 xisse doceant. Idem de Apollonio,
 Thyanæo, Democrito & pluribus
 aliis, ex Porphyrii & aliorum men-
 Antiqu. te refert Dietericus. Ericum quoq;
 Bibl. p. Regneri pugilis filium, pulte ma-
 64. gicâ hanc scientiam consecutum es.
 Lib. 12. se memorat Olaus Magnus. Verum
 o. 14. hi omnes, hæc qui agunt, nugas
 agunt

agunt & fabulas vendunt, ut ex sequentibus erit manifestum.

§. 5.

Allatæ huic sententiæ, alteram subnectimus, ipsi immediate contrariam, adserentem scil. nullum brutis inesse principium internum, spiritale nempe, percipiens, sentiens, & cogitans, sed omnes & singulos brutorum effectus, ex ordinata quadam causalium materialium serie deduci posse, seu ex solo spirituum influxu & Organorum debita dispositione, hoc est, certâ & determinata eorundem magnitudine, figurâ, situ, motu & quiete proficisci, nec aliquid amplius in illis reperiri quam in automato, aut aliâ machinâ, exquisitè elaborata; quandoquidem naturalium & artificia- Uti afferit Le, Gran. Ad nimad- vers: XXV. C. II. pere. in Rob. harum; lium discrimen non in eo situm est, quod proxima illarum motus principia sunt alterius generis; sed solum, quod illarum organa, cum minorâ sunt, majori sunt numero, & ad plura præstanta idonea, quam

harum: quo enim pluribus constant
 partibus, hoc intellectu sunt difficili-
 ores, & majora quoq; & mirabiliora
 efficiunt. Hinc etiam a multis hujus
 sententiae patronis tentatu est, actio-
 nes brutorum mechanice demonstra-
 re; sic fuit quidam, qui triginta annos
 in statuā quadam, quæ hominem
 referret, consumpsit, quæ quoque
 omnes ferē actiones, quæ eā, co-
 ram fierent, imitari, etiam loque-
 lam quodammodo proferre potuit.
 Unde argumentantur: si ea est ho-
 minum industria, ut automata, quæ
 per longam annorum seriem mo-
 rū suos tuerentur, ut omnis generis
 machinas, vel ad usum vitæ, vel ad
 oblectationem excogitet, quid de
 Omnipotente Artifice existimare
 par est? cum ultra quæ & dicere &
 cogitare possimus, facere valeat.
 Atque licet, ajunt, imperfecta sint
 ejusmodi automata, neque æquæ
 subtilest præstent operationes, atque
 artificiosissimæ illæ, profusque ad-
 mirandæ a summo illo Architecto
 fabricatæ machinæ; sufficit tamen

quod easdem exerant, ut ut modo imperfectiori, cum inter Artifices Deum & Hominem infinita sit distantia.

§. 6.

Tertiam & medianam extremarum harum, quæ à nobis jam recensitæ sunt, opinionum, facimus eorum, qui quidem omnem brutis rationem denegant, levem tamen & simplicem quandam Cognitionem rerum, quas moliuntur, ipsis adsignant, statuentes omnia animalia impressas à naturâ rerum quasdam accepisse imagines, ex quibus notitia quædam proficiuntur, quam *instinctum* vocant, quo certò veluti pondere impelluntur & instigantur ad ea persequenda, quæ ad sui custodiam, suæque naturæ convenientia opéra molienda necessaria sunt. Cum enim hic finis ab Auctore naturæ, & certâ providentiæ lege, omni animanti sit constitutus, ut sui conservationi, & generis propagationi omnino incumbat; quæ ad eum finem ducunt, etiam cognoscant.

scat necesse est. Sed ut in intimiorum
 illorum mentem, hanc senten-
 ciam foventium, perveniamus, ob-
 servandum est, notitiam hanc inna-
 tam, seu instinctum naturæ, produ-
 plici in brutis operationum genere,
 duplicem statui, *Communem* scil. &
proprium. Prior ille, ex quo conser-
 vatio Individui & Speciei fluit, ho-
 mini & bruto communis est, ita ta-
 men, ut in utroque subjecto non
 semper æquæ nobiles producat effe-
 ctus; nam in brutis, propter defe-
 ctum rationis, semper cœcus est,
 nunquam oculatus, dominatur pro-
 lubitu, ideoque præcipites ruunt in
 quævis obvia, adeo ut aliter agere,
 quam agunt, propter impositam si-
 bi à naturâ necessitatem, non pos-
 sint; et homo, vi suæ rationis, hunc
 ipsum instinctum, alioquin cœcum,
 ita temperat, ut multum eximii ho-
 nestique præster, quod tamen ra-
 tio sibi, tamquam directrici ac domi-
 natrix, jure vindicare potest. Poste-
 rior iste naturæ instinctus, quem
Proprium dicunt, ad solas animan-

es brutas restringitur, estq; pro va-
 rietate specierum varius, in animan-
 tibus verò ejusdem speciei semper
 sui similis, adeo ut omnia animalia,
 qvi ejusdem sunt speciei, consimi-
 les semper edant operationes, pro-
 pter instinctum suæ speciei pro-
 prium; hinc omnes vulpes subdolæ
 sunt; omnes lepores timidi; omnes
 araneæ artificiosæ; omnes apes in-
 dustriæ; omnes formicæ providæ, &
 sic in ceteris. Est enim Instinctus
 ille, uti volunt, principium & quasi
 fons omnium motionum; non mo-
 vetur autem animal nisi per adpe-
 titum, qui prælucentem sibi imagi-
 nationem subsequitur, in qua plu-
 rimas esse à natura impressas ima-
 gines vel hinc colligi posse autu-
 mant, quod multa moliuntur ani-
 mantia, quæ species, per sensus im-
 missæ, nuntiare non potuerunt; sic
 araneus, qui nunquam telam vidit,
 statim cum ab ovo prorepit, artifi-
 ciosam novit texere telam; ayes
 certo anni tempore nidos construa-
 nt, formicæ convehunr segetem;

apes mellæ conficiunt, quod à sui generis animalculis fieri non vide-rant antea. Neq; typos nidorum & domuncularum contuēntur aves & apes, cum favos faciunt, & ni-dos constrouunt. Unde firmiter col-ligunt, quod instinctus iste, seu im-pulsus naturæ, sit prior omni sensu, neque à sensibus quidquam depen-deat, verum omnes sensus præver-tat ac superet, utut eorum ministe-rio ad omnis generis opera moli-endæ utatur. Sic e. g. cum apis con-ficit favos, & formica intra cavernas convehit grana, ad hæc efficienda instigantur per quandam naturalem & congenitam sibi notitiam; ut au-tem talia efficiant, utuntur cogni-tione sensuum & Phantasiæ. Atq; hinc haud obscurè nobis constat, hanc esse mentem hujus sententiæ defensoribus, quod scil. omnes isti mirabiles effectus, qui à brutis fi-untr, ortum suum ducant ab imagi-nibus quibusdam, quas omnibus & singulis bestiis solers natura inseruit, seu à notitiâ quadam congenita,

quæ ex crebra & varia rerum sensibilium perceptione plurimum augetur, imo, usu, aliorum exemplo & humanâ institutione in tantum promovetur, ut hinc nova quædam agendi facultas, & cognitio quædam practica, aut habitus succrescat, qui Cognitionis sensitivæ nomine ab iis designari solet.

§. 7.

Expositis sic eâ , quâ festinando potuimus , dexteritate , præcipuis Philosophorum , de Brutorum perfectione , sententiis ; superest , ut unamquamque seorsim curatius pensitemus , quamq̄ cum rei veritate convenientiam vel disconvenientiam habeant , diligenter , sed brevibus , expendamus . Quantum ad primam attinet , dicimus , solerter hanc naturæ oīkōmūia , mirumque illum ordinem , quem animalia in actionum suarum exercitiis adhibent , nequaquam dirigi à ratione , quippe quæ , ubi inest , longe varia efficit , quām quæ

in brutis ne quidem fingi, nēdum
 ab iis exspectari poterunt. Hæc enim
 Deum, sui omniumq; rerum au-
 torem, contemplatur, eumq; ut
 potentem, sapientem, bonum,
 justum, scelerumque vindicem a-
 gnoscit. Hæc discrimen honestorum
 ac turpium monstrat: varias pro-
 positiones non connectit modò,
 sed etiam de veritate ac falsitate
 earundem judicat. Quis verò hanc
 de brutis perfectionem sibi pollice-
 ri audeat? quoram vis naturæ, quan-
 tacunque unquam fingi poterit,
 non in res abstrusas & suis in
 causis adhuc latitantes, penetrat;
 non contemplatur sidera, neque
 eorum ortum, obitum reliquumque
 cursum cogitat; quæ tamen omnia
 in homine præstat Ratio. Rationis
 proprium est, non modò intelli-
 gere, cognoscere & judicare actio-
 nem suam, sed eandem etiam pro
 arbitrio variare, quod bruta facere
 non possunt; non enim sicut homo,
 nunc hoc, nunc alio agunt modo,
sed

sed semper unam eandemq; instant
 tibiam, in harmoniam ita conspi-
 rantem, ut si unius animalis sonum
 probè noveris, totius speciei novis-
 se videaris. Hirundines nidificant
 non sub ramis arborum, sed eadem
 semper ratione sub tectis; vulpes
 anseres venatur, ut aliter facere non
 possit; homo sàpe mutat ea, quæ
 prius intenderat, non item felis,
 quæ nunquam apud se deliberavit,
 credo, de ignoscendo muri. Mira-
 ri itaque subit, quo pacto non mul-
 li, meritâ doctrinæ laude in ceteris
 non fraudandi, in sententiam tam
 absurdam, imo, tam Scripturæ, quam
 communi rationis sensui contrari-
 am, venerint, ut animalia rationis
 expertia dixerint rationalia esse, o-
 fenderintque nostrum genus nihil
 à brutis differre, tribuendo illis ra-
 tionem, quæ quocunque modō su-
 gnatur, non nisi impropriè Brutis
 attribui potest; cum Ratio, propriè-
 sic dicta, non tantum potentiam
 intelligendi, sed etiam ipsum in-
 tellex-

et lectoris iudicium, ratiocinationem
seu discursum, totumq; adeo com-
plexum involvit perfectionis istius,
quam Deus, ceu peculiare quoddam
privilegium, menti nostræ conces-
sit, quod supra despicabilem Bruto-
rum conditionem elevati, in nobi-
lissimum nobilitatis humanæ statum
vindicati sumus. Quod si de eâ-
dem quoque participarent Bruta, e-
iusdem quoque essent perfectionis,
neque ullum daretur animal præ-
ter hominem.

§. 8.

Ex jam dictis facilè patescit, ne-
que virtutes Brutis, veras scil. &
propriè sic dictas, inesse posse, cum
omnis virtus habeat pro fundamen-
to ipsam rationem; at jam sublato
fundamento, putá ratione, quod
insuper evictum, corruit id, quod
superstrui debet. Dari tamen in il-
lis imagines & simulacra quædam
virtutum, inficiari neutiq; possumus,
quæ eam in iis perfectionem suo
modò representare videntur, quam
virtus

virtus in homine; adeoque ea, quæ
 hominis sunt propria, et si non sint
 talia in Brutis, similia tamen vide-
 ri; ut proinde iure statuat Tullius, *Lib. II.*
Bestias esse pecula naturæ. Parili ra- *de fin.*
 tione explicari posse putamus, De-
 finitionem illam Juris, supra à no-
 bis allatam, Jus naturale scil. Bru-
 tis ibi adsignari, non quasi illa et-
 iam sint Juris intelligentia, seu quod
 Jus ipsum reperiatur in illis, sed quia
 id in iis deprehendatur, quod quan-
 do in homine est, jus dicatur. A-
 liás sane Definitio illa sibi constare
 non potest; cum Jus naturale sit
 dictatum rectæ rationis, ubi ergo
 non ratio, ibi nec rectitudo ratio-
 nis, & per Consequens, nullum Jus
 naturæ. Sed nec percipere vale-
 mus, quod pactō loquela, propriè sic
 dicta, Brutis conveniat, cum & hæc
 non nisi à mente seu ratione profi-
 ciscatur; Ut enim à fonte est flumen, *Vid.*
 sic à rationis conceptu est Oratio. *Hoff.*
 Solent quidem Brutus affectus suos *cap. 13.*
 per signa quædam naturalia expri-
 mere, sed ea sunt ejusmodi, ut ab iis

mutari aut reprimi non possint, ut
 ut negare nequeamus, quin pro va-
 rietate affectuum & passionum, qui-
 bus diversimodè afficiuntur Bruta,
 varient quoq; voces; sic e. g. gallina
 pro diversitate passionū, diversas for-
 mat voces, seu pipationes; alia enim
 est, cum Milvum conspicit; alia rur-
 sus, cum in escam incidit; alia vicis-
 sim, cum pullos colligit, alia alio
 tempore. Quod tamen nihil mi-
 nus, quam fieri articulatē, dici debe-
 at; cum omne hoc, quicquid est, ve-
 riū proficiscatur à varia organorum
 vocalium dispositione, & spiritum
 in corde agitacione. Quemadmo-
 dum idem in nostro experimut cor-
 pore, spiritus scil. attractionem, cu-
 jusdam passionis vehementiā, mul-
 zum immutari; hinc enim est, quod
 vel dolore, vel alio affectu subito
 correpti, quasdam interdum funda-
 mus, ut ita dicam, interjectiones,
 quæ quidem naturā suā nihil signi-
 ficant, sunt tamen indicia passio-
 num. Signa autem ex instituto, cu-
 jusmodi sunt erga, de quorum si-
 gnifici-

gnificatione convenienter, Bruta ob defectum rationis non habent; neque enim propriet loqui dici possunt, cum non intelligunt id, quod proferunt. Idem de machinis, arge factis, judicium esto.

§. 9.

Postquam itaque Rationem à Brutis prorsus alienam esse vidimus, despiciendum jam nobis ex opposito foret, num nihil quidquam præter nudam Organorum internam dispositionem, variumque spirituum & sanguinis motum, vicem in illis principii obtineat, uti volunt Philosophorum hujus ævi adcuratores, verum cum tertia illa, quam ut mediam inter duas extremas colloca vimus sententias, si ad rigorem philosophicum examinetur, ab eis, quæ à nobis jam discussa est, parum aut nihil dissentiat, licet primò intuitu in medio, quod vocant, rationis, inter sapientias nominatas sententias, posita videatur; idcirco sub incudem examinis hanc prius revocandam esse, ratio fraudet instituti. Obrem-

dont quidem hujus sententiae pro-
pugnatores acerrimi, hominis præ-
stantiae ac dignitati nihil quidquam
decedere, si bestiae levissimæ cu-
susdam cognitionis participes statu-
antur, cum ea nihilominus toto
genere ab hominis distet cognitio-
ne, utpote quæ semper cum refle-
ctione conjuncta est. Bruta autem
Objecta cognoscunt, cum ipsa in-
tuerint & distinguunt; sed se intueri
non sentiunt, neque percipiunt.
Quemadmodum in nobis ipsis idem
sæpius experimur, multa scilicet nos
sensuum ministerio percipere ac di-
stinguere, citra ullam animi perce-
ptionem. Sic animo in serias medi-
tationes intento, ad ea, quæ coram
sunt, non attendimus; quæ in con-
spectu sunt posita, intuemur qui-
dem: modo sanos habemus oculos;
sed nos videre non percipimus, non
minimimus. Unde licet, inquiunt,
non contumaciter negaverimus, co-
gnitionem brutorum in objecta re-
flecti posse, ad actionem tamen i-

ipsum vel sensum ea non reflectitur: non quod organa ab objectis non sentiant; cum mirum sit, oculos animantes ab auctore naturæ acceptisse, & non visum; nervos & membranas, non tactum, non olfactum; sed quod se videre, tangere & olfactere non animadvertant, quod tamen in omni mentis perceptione contingit. Verum enim vero, ut cunque Cognitionem hanc Brutum attenuare conantur, eamque ut levissimam & simplicissimam concipiunt, quæ scil. circa res paucas & sensibiles saltem versatur, seu, quæ figuram & extensionem tantum habent, complectitur, in se ipsum vero & suos actus non reflectitur; imo, nec sui, neque aliorum existentiam, nedium rerum essentias, proprietates, causas, connexionum leges, veritatem ipsum nulla ratione percipere valet; hinc tamen nullatus evincitur, eam à cognitione nostra toto genere disjungi, cum cognitionis, quatenus cognitio, nom
nisi

nisi unus conceptus generalis esse
 possit, qvi semper supponit judici-
 um seu rationem. Unde si cognitio-
 mem, vel levissimam, brutis tribua-
 mus, etiam rationem qualemcumq;
 demus necesse est, qvin & spirituales
 quoque formas ac immortales ipsi
 statim largiamur, adeoque non tanta
 natura ac specie, quam gradu Bruta
 à nobis differre statuamus: quod qui-
 dem nihil à ratione, fide & com-
 muni omnium sensu magis alienum
 esse potest. Sed ulterius pertendunt,
 principium cognitionis istius dire-
 ctè seu immediatè à nobis intelligi-
 non posse, neque licere nobis de
 cognitione Brutorum nisi ex effe-
 ctu judicare; sic adiequi, dicunt,
 nullo modo possumus, qvi fieri pos-
 sit, ut apes ad sua, ex dissipatis locis re-
 deant alvearia, si omni cognitione
 destituantur: nulla enim in aëre of-
 fendunt vestigia, quæ eas admone-
 ant, quò cundum sit, aut quò per-
 venientum. Verum respondemus,
 licet nobis de re, non bene perspe-
 cta

Etā, judicium nostrum suspenderē; cum incognitis aut perversè cognitis rerum principiis, omne judicium nostrum de re, ejusmodi principiis superstructā, densis obfuscetur tenebris. Unde etiam curioso Philosophiae studio ad primē utile & necessarium esse arbitramur, principia rectē distinctēqvē percipere, priusquam ad planam scientiam, de rerum compositarum naturā progrediatur.

§. 10.

Discussis autem sententiis primā & tertiā, Brutis plus æquo tribuentibus, ad secundam regredimur, ipsis vicissim plus justō detrahentem. Non diffitemur equidem, variam illam Organorum dispositionem & structuram, cum rectē se habet, non parum facere ad cuiusvis operis productionem. Neque inficiamur, magnam partem operationum ex ipsa partium dispositione & necessitate
qvā

quādām perfici. Exactissima namq;
 organa, & hæc moventes subtilissi-
 mi Spiritus, mirum est, qvantum
 conferunt, ad actiones rite obeun-
 das, dextrèq; perficiendas. Non so-
 lum enim vitales & naturales actio-
 nes, ut cordis & thoracis motus, san-
 guinis præparatio, percolatio, & aliæ
 complures; sed etiam plerique mo-
 tus spontanei, nobis aut insciis, aut
 etiam invitis, quandoque fiunt: quo-
 rum motuum celeritatem non nisi
 apta partium dispositio, magna que
 spirituum mobilitas efficiunt. Ut ut
 itaq; hæc sententia in multis ad ter-
 minos veritatis accedere videatur;
 in aliis tamen non paucis fallit, &
 conjecturas instar fundamenti ha-
 bet, cum multa, quæ in Bru-
 torum actibus observantur, talia
 sint, quorum arcana referari neuti-
 quam possent, si vel extrema vis in-
 tellectus humani fuerit intentata. Sic
 v. g. explicet aliquis clarè atq; ve-
 distincte, qvæ sit ordinata illa dispositio

& nexus causarum materialium in
araneo, telam suam in tot rotularum
modulos & innumeros gyros ver-
sante. Explicet præterea, qui fit, quod
vulpes, ex improviso pullos, ad ripas
amnium fluitantes, adoritura, gres-
su tacito subeat aquam, aquæ inter
progrediendum, pedes tardè immer-
gat, cautius autem supra aquam at-
tollat, & simulac pedem alterum ex-
tulit, ori ingerat, lambatq; ne fono
destillantium in aquam guttularum
admoniti pulli respiciant. Neque fal-
sò tot vulpinæ jactantur artes omni
admiratione majores. Quid & se
mortuas interdum simulant. Ca-
ptam novimus, ut habet; Du Hamel,
atque à canibus fœdé disceptam;
cum velut mortua auferretur, ser-
vum qui eam humeris defere-
bat, dentibus in ejus lumbos de-
fixis, se adhuc vivere, ac quid Lib. III.
dam ab automate diversum non c. I. §. 6.
sine magno illius malo docui-
se. Statuendum proinde firmiter
judicamus, dari aliquod in Brutis
prin-

In Oper.
Philos.
Tom. II.
de Corp.
Anim.

principium, ab organica dispositio-
ne diversum, unde mira ista, quam
in Brutis tantopere mirari solemus,
perfectio resultat; verum cujus-
naturæ illud ipsum sit, cum non
adeo constet, neque determinamus.
Deo autem omnis perfectionis prin-
cipio, sit Laus & Gloria in
nunquam terminanda
Secula...

T A N T U M.

